



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Dispvtaones Theologicae**

Quatuor Tomis distinctæ: Qvibus Vniversa Theologia Scholastica Clare,  
Breviter & accuratè explicatur

De Deo, Et De Angelis

**Martinon, Jean**

**Burdegalae, 1644**

Dispvatio XLI. De voluntate Angelorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73898)



procedentes à Verbo, quam omnes etiam non beati, in sua creatione habuerint. Iuxta illud quod ait Augustin. passim in lib. 4. de Genesi ad litteram à cap. 20. usque ad finem libri, Deum in mentibus Angelicis intelligibili modo fecisse omnia, quae in propria existentia creauit.

Alij demum, vt Aegid. Rom. in 2. dist. 13. q. 1. art. 3. dub. 3. literali, praeter cognitionem matutinam & vespertinam addunt meridianam: distinguentes vespertinam, mane, & diem. Et vespertinam quidem aiunt esse in absoluta cognitione creaturae secundum se, & in proprio genere. Mane autem fieri, quando ex cognitione creaturae in proprio genere, Angelus in laudem & dilectionem Dei creatoris ascendit. Meridiam vero, quando in Verbo per vultum beatam Angelus plenius & perfectius creaturam inuenit. Tunc enim dies ante saeculo perficitur. Cui interpretationi locum dat Augustin. ipse lib. 4. in Genes. cap. 22. & lib. 11. de ciuit. cap. 7. Eidemque fauet S. Thom. q. 58. art. 6. ad 2. Sed in re neque difficili, neque magni momenti, non est diutius immorandum.

Et haec tenent de intellectu & cognitione Angelorum. Nam de habitibus acquisitis, sive intellectus, sive voluntatis, sive potentiae Angelicae, nihil est speciale praeter ea, quae de habitibus in communem traduntur à Philosophis. Tantum aduerto contra Vasq. disp. 289. cap. 2. Angelos esse

capaces habituum in iis, in quibus non habent summam facilitatem operandi, quantum naturaliter habere possunt. Est enim aliqua perfectio hanc facilitatem sibi comparare, Angelo non neganda, cum nobis infir. Neque propterea crescent hi habitus in infinitum per actus tota aeternitate repetendos. Desinit enim augmentum, vbi summa facilitas parca est: quemadmodum ab initio defuisset capacitas habituum, si facilitas ab initio summa fuisset. Dixi, in quibus non habent summam facilitatem, &c. Non autem in quibus patitur difficultatem operandi. Quae non assentio iis, qui putant nullam potentiam esse capacem habitus, nisi circa ea, in quibus patitur difficultatem positivam. Cum experientia constet homines naturam pronos ad gulam, vel ad iracundiam, exercitio fieri promiores licet ab initio difficultatem nullam, sed è contrario facilitatem non leuem & magnam propensionem habeant. Adde Angelos non carere vsquequoque difficultate in intelligendo & volendo: si ita esset, censendi sint omnino incapaces habituum, quibus difficultates emoliant, aut tollant. Neque enim omnia cognoscunt primo & simplici intuitu, ac sine villo labore, vt ostendimus sect. 2. & 3. Possunt etiam naturaliter spectati habere difficultatem in exercendis aliquibus virtutum actibus heroicis, & in resistendo tentationibus, atque illecebris ad malum sollicitantibus.

## DISPUTATIO QUADRAGESIMA PRIMA.

### De voluntate Angelorum.

Sectio I. *Ut se habeat voluntas Angeli circa actus suos, & obiecta: praecipue circa Deum, seipsum, & alios Angelos?*

Sectio II. *Verum Angeli voluntas primo instanti, sua creationis fuerit libera, etiam ad peccandum?*

Sectio III. *Verum voluntas Angeli inuariabiliter adhaereat ei quod semel elegit?*

Sectio IV. *Saluantur argumenta contraria sententiae.*





V. A. D. Thomas de voluntate Angelorum docet quæst. 59. vel satis patet ex dictis de intellectu, vel in textu perspicua sunt. Primò enim quod ait esse in Angelis voluntatem, patet ex Scriptura passim, & ex generali ratione viuensium cognoscibilem, quæ appetitum habent cognitioni proportionatum, vt bona cognita sibi conuenientia prosequantur, & auerfentur mala. Et alioqui frustra fore cognitio: magis quæ foret imperfectionis bona & mala intelligere, & actus prosecutionis ac fugæ circa eadem exercere non posse. Secundò liquet ex citis disputatione 37. sectione 1. quid sentiendum sit de distinctione voluntatis, eiusque actuum, à substantia Angeli. Nimirum actus reciter quidem differre, secus autem ipsam volendi facultatem: licet contrarium probabilius nonnullis videatur, ipsique D. Thomæ art. 2. corp. assignanti, voluntatem Angeli vel alterius creaturæ, non posse idem esse cum eius essentia: quia ibi eum est, idem essentia & voluntas, vbi realiter bonum continetur in essentia volentis, scilicet, in Deo, qui nihil vult extra se nisi ratione sua bonitatis. Quod verò idem addit artic. 3. voluntatem Angelorum liberam esse, docet fides Catholica, quæ tradit Angelos, esse capaces meriti & demeriti. Idemque constat sufficiens experientia Magorum & Energumenum. Adde, quod homines sunt liberi circa bona & mala: ac Deus etiam liber est ad efficaciter volenda bona creati, vel volenda mala. Ergo & Angeli, qui non magis additi sunt huiusmodi bonis, neque in bonis creatis, maiorem amabilitatem inueniunt, quam in Deo, à quo tamen liberè recesserunt. Quarto, patet etiam eandem voluntatem, licet re vnicam, æquiuacere tamen appetitui nostro concupiscibili & irascibili non quidem quoad passiones corporeas, quas in Angelis commouere non potest: sed quia potest elicere actus similes illis qui ab utroque illo appetitu elicuntur circa bonum aut malum, facile aut arduum. Nam Angelus naturaliter spectatus potest circa bonum facile dicere amorem boni absolute spectati, & desiderium futuri, & gaudium præsentis. Ac circa malum facile euitabile exercere odium, si absolute illud spectetur: fugam, si vt futurum: tristitiam, si vt præsens. qui sex actus tribuuntur appetitui concupiscibili, tres circa bonum facile, totidem circa malum. Circa bonum verò & malum difficile, & arduum potest alios quinque exercere, qui assignantur appetitui irascibili: spem, desperationem, audaciam, timorem, & iram, de quibus aliàs fusiùs dicemus suo loco, tom. 3. disputatione 19. sectione 1.

His itaque breuiter præmissis, duo, de quibus Sanctus Thomas tota quæstione 60. & articulo. 2. quæstionis 64. supersunt explicanda. Primò, An, & quomodo voluntas Angeli se habeat circa



actus suos & obiecta, præcipue circa Deum, seipsum, & alios Angelos? Secundò, an sit inflexibilis, ita vt immobiliter, aut inuariabiliter adhæreat parti, quam semel elegit? Quæ de re doctrina D. Thom. quæstione illa 60. est. Primò, in Angelis esse naturalem dilectionem; quæ commune est omni naturæ, vt habeat aliquam inclinationem, quæ est appetitus naturalis, vel amor; & in vnaquaque natura inuenitur secundum modum illius. Vnde in natura intellectuali inuenitur inclinatio naturalis secundum voluntatem: in natura autem sensitua, secundum appetitum sensituum: in natura verò carente cognitione, secundum solum ordinem naturæ in aliquid. Secundò in Angelis duplicem esse dilectionem: naturalem scilicet circa finem: & electiuam circa media: quarum illa est istius præcipuum. Tertiò, Angelum diligere vtrâque dilectione tam seipsum, & bona sibi conuenientia; tum etiam alios Angelos: ipsumque Deum naturali dilectione plus diligere, quam seipsum. Quia cum Deus sit bonum vniuersale, sub quo continetur etiam Angelus & homo, & omnis creatura, diligitur ab illis magis & principalius naturali dilectione: alioquin enim perversa esset naturalis illa dilectio; & non perficeretur per charitatem, sed destrueretur. Adde S. Th. h. art. 2. quæst. 64. voluntatem Angeli adhærere fixè & immobiliter ei quod semel elegit. Quia vis appetitiua in omnibus proportionatur apprehensiuæ, à quo mouetur sicut mobile à motore. Differt etiam apprehensio Angeli ab apprehensione hominis, in eo quòd Angelus apprehendit immobiliter per intellectum, sicut & nos immobiliter apprehendimus primâ principia, quorum est intellectus: homo verò per rationem apprehendit mobilitèr discurrendo ab vno ad aliud, habens viam procedendi ad vtrumque oppositorum. Vnde & voluntas hominis adhæret alicui mobilitèr, quasi potens etiam ab eo discedere, & contrariò adhærere; voluntas autem Angeli adhæret fixè, & immobiliter. Ideoque si consideretur ante adhesionem, potest ab eo adhærere & huic, & opposito, in his scilicet quæ non naturaliter vult. Sed postquam iam adhæsit, immobiliter adhæret. Hæc D. Thomás, quæ sequentibus sectionibus explicabuntur.

## SECTIO I.

*Ut se habeat voluntas Angeli circa actus suos, & obiecta: præcipue circa Deum, seipsum, & alios Angelos?*

**D**ICO primò, esse in Angelis naturalem dilectionem, eamque multiplicem, circa Deum, seipsum, & alias creature intellectuales. Hæc conclusio est D. Thom. tota quæst. 60. & aliorum communiter. Ad

cuius declarationem suppono primò, dilectionem posse tripliciter dici naturalem. Nempe vel quia exercetur viribus naturalibus: & sic opponitur supernaturali. Vel quia est secundum naturalem inclinationem seu propensionem subiecti: & sic opponitur præternaturali aut contranaturali. Vel demum quia necessariò & non libèrè à voluntate procedit: & sic opponitur liberæ. Hæc autem iterum duplex est. Vna enim est necessaria quoad specificationem tantum: quia non potest nisi talis species actus exerceri, etiamsi possit abstineri ab exercitio. Non potest, inquam, vel simpliciter & omninò: vel secundum



quidam habita scilicet ratione propensio- nis naturalis, vel secundum aliquam aliam circumstantiam aut considerationem. Altera est necessaria quoad exercitium, quatenus ab ipso actus exercitio abstinere nequit.

Suppono secundum ex D. Thom. quest. 69. art. 3. Dilectionem aliam esse benevolentiam siue amicitiam, & aliam concupiscentiam. Illa fertur in personam cui bonum aliquod propter ipsam expetimus. Hac in bonum quod ei volumus: siue illud bonum sit in intrinsecum, siue extrinsecum, substantiale vel accidentale. Quamquam cum aliquod substantiale & per se subsistens amatur alteri amore concupiscentiam, videtur amari ut quid accidentale, quemadmodum D. Thomam art. citato exponunt Cajetanus & Vasq. in suis annotationibus ad eundem art.

Iam quod Angelus naturaliter primo sensu, id est, viribus naturalibus, non modo se ipsum & alios Angelos ac creaturas rationales, sed etiam Deum amare possit aliquatenus, tum amore concupiscentiam, tum etiam benevolentiam patet, quia in his omnibus est multiplex ratio boni naturaliter cognoscibilis, ut amabilis utroque modo, & sufficiens ad voluntatem alliciendam, ut in ipsam fertur actu proportionate naturali cognitioni. Dixi, aliquatenus: quia quoad certinet ad dilectionem Dei, non potest Angelus habere illam qualis requiritur ad iustificationis gratiam consequendam. Quam dilectionem Tridentinum sess. 6. can. 3. negat posse naturaliter haberi ab hominibus. De Angelis vero par est ratio, quippe quibus, ut ait D. Augustin. lib. 12. de Civ. cap. 9. communia sunt quae de gratia & gloria supernaturalitate dicuntur in Scriptura.

Deinde, quod etiam naturaliter secundo sensu, id est secundum naturalem inclinationem, patet, quia valde connaturale est, ut quisque se amet & sua, & que cognoscit naturaliter sibi esse convenientia, & odieritque contraria. Item que ut amet auctores sui esse, benefactores, amicos, similes natura, officio, conditione: ut quisque bonae indolis experitur. Angeli autem habent naturalem inclinationem rectam. Ergo &c.

Atque hinc oritur aliqualis necessitas & naturalitas tertio sensu, id est quoad specificationem secundum quid. Quatenus Angelus, sequens huiusmodi naturalem inclinationem, non potest hanc obiecta odisse. Quae necessitas maior est circa eadem bona, largiusque patet circa alia omnia, considerata praesens ut sunt bona, circa vllam rationem aliud mixtam: ut circa beatitudinem abstractam a difficultate consequendi, circa scientiam, virtutem &c. Quae obiecta ut talia, nullo modo possunt odio haberi ab Angelo: quia, ut suppono ex dicendis in tract. de actib. human. non potest odium versari nisi circa malum: nec amor nisi circa bonum. Ideoque nec malum quod malum potest amari: nec bonum quod bonum potest odio haberi. Quare volun-

tas Angeli necessitate simpliciter quoad specificationem circa bonum quod bonum, & circa malum quod malum.

Maiorem autem necessitatem quoad obiecta quaecunque naturalia bene pensata & mature considerata naturali modo, non puto esse naturaliter in Angelis. Nam quod aliqui dicunt necessitari etiam quoad exercitium ad amorem sui perpetuum, non credo. Etenim siue in seipso, siue in quocunque alio semper ac sine interruptione diligendo potest Angelus apprehendere rationem aliam quam mali, aut inordinis boni, aut saltem boni non necessarij (loquor de Angelo naturaliter spectato circa statum beatitudinis aut damnationis aeternae) ergo nullum est obiectum ad cuius affectum semper exercendum naturaliter determinetur, ita ut ab altero non possit.

Addo cum Vasq. in notationibus ad art. 3. quest. 60. in fine, non certum constare quod Angelus non possit naturaliter carere omni exercitio voluntatis tam positivo quam privativo: omni, inquam, collectivum. Quia non apparet quod Angelus naturaliter speciosus, non possit in eorum cogitare tam illud de rebus mathematicis aut metaphysicis, ab affectu remotis, nulla ratione boni & mali in illis sufficienter propofita, ad quam voluntas amore vel odio afficiatur. Quod si dicatur voluntatem Angeli liberè saltem in peccare vel permittere talem actum. Respondeo, ne id quidem necessarium esse: sed obiectis occurrentibus posse intellectum naturaliter, non praesente neque cogitante libero voluntatis actu, de illis cogitare, ac si quidem illud cognoscere, quod talis cogitatio non sit necessaria, ut in bonis, quam alia, que eius loco exerceri possent. Neque obest cognitio confusa quam semper habet Angelus de seipso ut cognoscere & tendente virtualiter in obiectum: quatenus Angelus versatur semper in aliqua cognitione, quisquis autem cognoscit aliquid, cognoscit se cognoscere, actu virtualiter reflexo in se ipsum. Hoc, inquam, non obest, quia sicut in nobis experimur, hac Notitia potest adeo confusa esse, ut voluntatem non alliciat, neque afficiat.

Dices cum Suarez libro tertio capite 3. numero 3. maxime contentum esse peccatum boni naturae Angelicae, ut semper sit in actu secundum potentiam sui internis. Talis enim status est de se perfectior, & Angelo possibilis, & in eo non fatigatur. Respondeo non quicquid est in actu contentum, esse propterea necessarium. Angelus autem licet non fatigetur, potest tamen totus occupari in aliquo actu intellectus circa obiecta ab affectu remota.

At, inquit Suarez, intellectus Angeli non potest carere omni cogitatione collectivum. Ergo neque voluntas omni exercitio. Probatur obsequentia, quia nulla est causa naturalis & necessaria quae possit voluntatem, in agere quam intellectum, pati omni operatione.

D. Thom.

Amor est duplex benevolentiae, & concupiscentiae.

Angelus se & alia multa diligit naturaliter.

Et aliqua tenus necessitatio quoad specificationem.

No quoad certitudinem.

Potest ad Angelus probabiliter carere omni actu voluntatis.

Soluitur obiectio.



voluntas verò ipsa liberè seipsam priuare nequit. Priuaret enim per aliquem actum vel exercitium liberum. Vnde non minus implicat quòd voluntas Angeli seipsam priuet omni exercitio, quàm quòd priuet intellectum omni cogitatione. Item, vt voluntas talem cessationem velit, debet in ea apprehendi aliqua ratio mali in tota actuum latitudine distributiue sumpta. At in carentia omnis actus voluntatis nulla ratio boni cogitari potest: Neque in equali exercitio alicuius actus indefinitè sumpti potest inueniri aliqua ratio mali, quia in tota latitudine actuum non possunt non esse multi convenientes, & aliunde mouent operari actum, quàm cessare ab omni operatione. Ad illud est de se bonum & perfectum, hoc autè simpliciter est imperfectum: ergo non potest voluntas formaliter aut virtualiter velle talem cessationem: ad pròinde necessitatur ad volendum aliquid saltem indefinitè.

Ad primum Respondeo, disparem esse rationem intellectus & voluntatis. Etenim intellectus Angelicus semper habet obiectum aliquod propositum à quo determinatur, & necessitatur ad cognoscendum, nisi voluntas aliò liberè auertat, quod non facit sine aliqua cognitione, vt suo loco diximus: neque vlla causa, præter Deum contranaturaliter operantem, apparet, quæ possit obiectum omne collectiue intellectui Angelis subtrahere. At verificari potest vt voluntas non habeat obiecta proposita sub ea ratione quæ ipsius affectum moueat. Vt si Angelus in statu speculatur ab affectu semotis; in quo casu voluntas Angeli caret omni exercitio, non a tem intellectus. Nec obest quòd voluntas Angeli non fatigatur operando, magis quàm intellectus. Neque enim fatigatio causa est huius cessationis, sed status Angelis, vt occupetur totus in rebus ab affectu repositis.

Reliqua Suarez argumentatio probat tantummodo, non nos posse priuari omni exercitio à seipsa. Quod verum est de omni exercitio tam postiuo, quàm priuatiuo. Non autem de positiuo solò, de quo tamen videtur loqui Suarez. Nam voluntas Angeli potest liberè abstinere ab omni actu postiuo aliunde non necessario. Neque ad hoc requiritur, vt in huiusmodi abstinence apprehendatur ratio in aliquo bono, vel in oppositè ratione mali. Sufficit enim si apprehendatur exercitium illud positiuum non esse sibi necessarium, vt liberè possit abstinere ab illo.

Similiter non assentior affirmantibus, Angelum necessitati simpliciter quoad specificationem ad actum sui ipsius, ita vt nullo actu possit se ouisse simpliciter, quomodo cum se consideret, & quacunq; maius circumstantia se vestiat. Nam de Angelis hac in parte philosophandum arbitror vt de nobis. Nos autem licet frequentius in malo ipso nobis volendo, bonum nobis velimus, & tamen nos diligamus: vt cum ali-

quis mortem sibi desiderat, vel infirmitatem se malis huius vitæ, apprehensis tanquam maioribus, eripiat, quod melius esse sibi putat; interdum tamen possunt nos odisse simpliciter propter bonum Dei, vel alterius, non cogitando de bono nostro. Vt verb. g. qui velle propter Deum annihilari, quamuis eiusmodi annihilatio in bonum suum nullo modo cederet, sed præcisè propter gloriam Dei. Sicut è contrario possumus odisse Deum & alias naturas intellectuales propter bonum nostrum, vt indutas aliqua ratione nobis inimica & disconueniente. Idem ergo de Angelis spectatis naturaliter censendum esse arbi ror. Facilius tamen esse videtur vt Angelus Deum & alios odiret, quàm seipsum. Quia ab alijs multa disconuenientia pati potest inuitus: non item à seipso. Sicut è contrario frequentius versatur in amore beneuolentiæ circa seipsum, quàm circa alios, saltem præter Deum.

Neque etiam verum est, quod aiunt aliqui, Angelum nihil sibi amare per amorem concupiscentiæ, quin equali necessitate Deum amet: vt pote sine quo non potest adipisci, vel habere id quod amat. Esto enim: verum illud sit de amore concupiscentiæ efficaci, quique fertur efficaciter in finem, & consequenter, saltem virtualiter, in media necessitate non tamen ita est de amore concupiscentiæ inefficaci, vel complacentiæ. Vt verb. grat. si Dæmon concupiscat non esse Deum, nec tamplius torquetur vel complaceat sibi in appetenda Dei similitudine aut æqualitate, quàm impossibilem esse seipsum.

Porro cum Angelus seipsum odit, vel Deum, vel aliam substantiam intellectuales; semper retinet naturalem illam inclinationem, de qua supra, ad eorundem amorem. Quo sensu interpretor D. Thomam quæst. 60. art. 5. ad 5. affirmantem, quòd licet dæmones Deum odio habeant, vt eorum voluntati contrarium; tamen quatenus est bonum commune, semper eum plus amant quàm se ipsos. Interpretor, inquam, cum Suarez lib. 3. cap. 5. num. 4. in fine, quòd semper amant in actu primo & inclinatione illa naturali; quæ vt est recta; ita magis inclinatur ad bonum maius; & ad bonum commune totius, magis quàm ad bonum partis; & ad vnumquodque amandum, prout recta ratio exigit. Contra quam tamen inclinationem facere possunt, & reipsa faciunt dæmones turpissimo odio quod in Deum exercent. Quemadmodum etiam circa se ipsos, & alia obiecta creata, contra eandem faciunt inordinato amore vel odio.

Quamuis enim facile sit Angelo spectato naturaliter, non peccare contra rectitudinem purè naturalem, & vnumquodque appetere prout recta ratio postulat: quippe qui caret pugna passionum appetitus inferioris, & praua dispositione intellectus: potest tamen contra illam peccare, vt peccat sæpissimè dæmones, perpetrando per

10. Sati fit  
i obiecto

11.

12.

Angelus potest se odisse, & Deum &c.

13.

14.

Quomodo retinet se per inclinationem ad bonum sui & Dei?

Sunt.

15.

Potest Angelus peccare contra rectitudinem naturalem.



se, & per alios; veneficia, homicidia, & alia rationi manifeste contraria. licet ad hæc perpetranda inducantur sæpissimè dæmones ex motu sui status præternaturalis, nempe damnationis: cum tamen habeant in eo statu voluntatem eandem, quam in statu naturali ante peccatum, siquidem nihil naturalium per peccatum & damnationem amiserunt: sequitur, eandem voluntatem in statu naturali constitui posse indifferentem circa huiusmodi objecta, sicut libus boni vel mali circumstantijs indura, & circa illa posse similiter affici.

16. Adde non tantum posse malè graviter affici, & peccare mortaliter, verum etiam leuiter & venialiter, intra naturæ ordinem, circa objecta proportionata. Nimirum quia liberi sunt ad appetendum inordinate objecta leuiter equè ac graviter mala. Nec obest quod nonnulli obijciunt, naturalem dignitatem Angeli reddere graue quodcumque illius peccatum. Etenim maior est dignitas gratiæ, & iustitiæ supernaturalis, naturali dignitate Angeli. De tamen iusti possunt peccare venialiter. Non item obest, quod in Angelonullus sit passio, nullaque ignorantia circa transgressionem præcepti naturalis. Nam inde non sequitur, quod Angelus peccet per purum contemptum. Siquidem in leui alioque transgressione alia sunt quæ possunt placere præter contemptum, vt defectatio, vel honor. Quod verò Angelus careat ignorantia, non facit vt peccatum de se leue, sit illi graue. Quin potius hoc ipso quod non ignoret, scit peccatum esse leue. Non obest denique quod ait D. Thom. 1. 2. quæst. 89. art. 4 Angelos semper actionem suam referre in vltimum finem: & cum nequeant peccatum referre in Deum, debere referre in alium finem vltimum: ideòque mortaliter peccare, quia mortale est constituere suum vltimum finem in alio, quam in Deo.

17. Respondeo enim primò, non esse necessarium, vt Angeli absolute omnes suas actiones referant semper, & quouis actu in vltimum finem. Possunt enim, æquè ac nos, siltire in finibus inferioribus, non cogitando de vltimo. Loquor de vltimo simpliciter, de quo obiectum procedit. Notandum enim finem vltimum esse duplicem: Vnum simpliciter totius vitæ, ad quem se & sua omnia debet quisque referre, nihilque vnquam admittere quod sit eius affectioni contrarium. Alium, secundum quid & in suo ordine, in quo nimirum vltimò siltit intentione. Piori modo peccatum mortale est habere alium finem vltimum, quam Deum. At non posteriori: imò ne quidem est de se peccatum veniale. Neque enim necessarium est in quacunque actione, vel intentione, de Deo cogitare vt de fine vltimo simpliciter, & ad Deum referre actionem illam, cætera quæ omnia. Nec verum est finem vltimum simpliciter se habere omnino & vniuersalissimè respectu cæterarum omnium actionum, sicut principia se habent respectu

conclusionum, si sermo sit de conclusionibus formaliter sumptis quæ talibus. Etenim conclusiones, quæ tales, non habent vnde cognoscantur sine principijs quæ sunt illis ratio formalis cognoscendi. At bona inferiora, vel mala, hæc seipsis amabilitatem aliquam, vel odibilitatem, citra respectum ad finem vltimum aut summum bonum: vt fustis exponemus in tract. de beatitud. Consentiant Suarez lib. 3. cap. 8, vbi D. Thomam in eandem sententiam adducit: Valquez 1. 2. quæst. 89. art. 4. De Salas ibidem tract. 13. disp. 17. sect. 4. num. 23.

Suar. Valsq. Salas.

SECTIO II.

Verum voluntas Angeli primo instanti sue creationis fuerit libera, etiam ad peccandum?

18. Dico primò, Angelum potuisse liberè operari eodem instanti, quo primò creatus est. Probat, quia causa libera non minùs possunt operari cum primò habent omnia ad agendum necessaria, quam causa naturales seu necessaria. Atqui cause naturales operantur cum primò habent omnia necessaria: & si habent primo instanti quo sunt, operantur eodem instanti: vt sol illuminauit eodem instanti quo creatus fuit. Ergo causa libera possunt operari eodem instanti quo creantur, si tunc habent omnia ad liberè agendum necessaria. Potuisse autem Angelos primo instanti sue creationis habere omnia necessaria ad liberè agendum, probatur, quia illo instanti habent intellectum perfectum, capacem intelligendi objecta proportionata, sibi propo- sita: & voluntatem capacem amandi, vel respiciendi, aut non amandi eadem objecta. Neque defuerunt illo instanti objecta proportionata sufficienter disposita ad cognoscendum, habuerunt enim tempus, & alios Angelos, & alia quædam simul cum illis creata, & ea quorum species congenitas a Deo acceperunt, ex quibus etiam potuerunt Deum cognoscere naturaliter. Cum autem objecta creata, atque etiam Deus ipse confusus essent & analogicè cognitus, non necessitent voluntatem Angelicam ad sui amorem, vt ostendimus sect. præcedenti, possitque in omnibus cognoscere rationes propter quas possit amare, vel non amare, aut etiam respicere & auersari: erit voluntas Angeli libera ad amandum, vel non amandum huiusmodi objecta, cum illas rationes considerat. Quare Angeli naturaliter spectati possunt primo instanti sue creationis exercere libertatem, siue quoad exercitium, siue quoad specificationem.

18. Angelus potuit liberè operari in primo instanti creationis.

19. Confirmatur, quia exercitium libertatis non requirit prius tempore cognitionem objecti liberè volendi, aut consultationem circa rationes volendi aut non volendi: alioqui Deus non habuisset ab æterno exer-

19. Libertas non requirit cognitionem prius tempore, sed natura.

Potest etiam venialiter peccare.

D. Thom.

Finis vltimus duplex: simpliciter, & secundum quid.

Non tenetur operari & in omni actu intendere finem vltimum simpliciter.



citium suae libertatis, sed necessaria tantum est prioritas rationis, vel naturae seu dependentiae, inter cognitionem & volitionem liberam: quatenus cognitio obiecti est conditio necessaria, ut voluntas liberè circa ipsum verferetur. Neque opus est consultatione inquisitione, ubi obiectum clarè apparet. Confirmatur secundò, quia ex communis sententia Theologorum, Angeli fuerunt iustificati primo instanti suae creationis, non sine libera ipsorum cooperatione, naturae tantum ordine suae, ut dicemus disput. 43. sect. 1.

20. Potest peccare angelus eodem primo instanti. Vide infra num. 26. & seq.

Dico secundò, Angelos naturaliter spectatos potuisse peccare primo instanti quo creati sunt. Probat, quia Angeli spectati naturaliter possunt peccare post primum instanti suae creationis, sicut de factis multi peccarunt. Ergo suspicetiam peccare primo illo instanti, quia tunc habent eandem libertatem de se libilem in malum, & non aliunde necessitam ad non peccandum. Nihil enim aliud est, propter quod naturaliter aut moraliter impossibile sit eos peccare illo instanti, ut patebit respondendo ad argumentis contrariae sententiae. Confirmatur, quia voluntas Angeli est libera primo illo instanti, tam quoad specificationem, quam quoad exercitium, circa obiecta & varias eorum rationes boni vel mali, ut ostendimus praecedenti conclusione. Ergo potest tunc liberè amplecti propter delectationem, aut commoditatem, id quod propter honestatem respiciendum esset: velmittere id quod secundum dictamen rationis faciendum esset. Consentunt in hanc assertionem Molina & plures alii ad quest. 63. art. 5. Vasquez disput. 236. cap. 3. & Suarez lib. 3. c. 9. num. 3. post Scotum in 2. dist. 5. quest. 2. §. Teneo igitur: Gregorium ibidem quest. 10. art. 2. Capreolus dist. 4. quest. typica art. 3. dub. 1. & alios Nonnulli.

21. Contra primam conclusionem sentiunt Magist. in 2. dist. 25. lit. B. Hugo Victor. lib. 1. de sacram. p. 5. cap. 22. & Bonavent. in 2. dist. 3. secunda pars dist. art. 1. quest. 2. ad 3. existimantes, voluntatem non esse liberam ad exercendum actum primo instanti quo illi exercet: sed tantum quatenus vel fuit ante libera ad illi exercendum, & actus tunc procedit ex indifferentia & libertate, quam voluntas habuit immediate ante illud instans: vel quatenus in eo instanti habet potestatem continuandi vel non exercendi eundem actum. Fundamentum illud est, quia voluntas illo instanti est determinata ad unum: & id omne quod est, necesse est esse. Ergo voluntas non est indifferens & libera ad actum quod est pro illo instanti. Tunc etiam quia priusquam libertas exercetur, praecedere debet liberatio.

22. Sed fundamentum illud plane seu volu est. Licet enim necessarium sit esse id quod est, ex suppositione quod sit, quia impos-

23. Contingit. 24. Resellitur. 25. Causa.

sibile est idem simul esse & non esse: antecedenter tamen spectando voluntatem non necessariò deiunctam de se illi actui, neque vi omnium aliorum ad agendum praerequisitorum: non est necesse illum actum exerceri à voluntate, quae illum ponit dumtaxat quia vult, & quae si voluisset, non illum posuisset, aut posuisset oppositum. Sicut Deus ab aeterno potuit velle liberè plurima, quae non voluit: & non velle, quae voluit, aut velle eorum opposita. Secundò, voluntas est libera eo instanti quo exercet libertatem: id est, libertas est, eo instanti quo se exercet. Atqui libertas se exercet eo instanti quo actum ponit ex dominio, vel omittit: ergo &c. Maior est evidens, quia quod non est, non se exercet. Minor quoque manifesta est, quia libertas se exercet eo instanti quo operatur, & non ante vel post. Exercitium enim libertatis est eius operatio: operationis nomine intelligendo commissionem aut omissionem liberam.

Tertiò, voluntas est libera eo instanti quo peccat aut meretur. Atqui peccat aut meretur eo instanti quo actum exercet. Ergo est libera eo instanti quo actum exercet, & non tantum ante vel post, aut solum per respectum ad praeteritum vel futurum. Maior est evidens. Minor probatur, quia eo instanti, quo actus peccati committitur, peccator gratiam perdit, si tamen habeat: & non ante, vel post. Neque enim antea privatur illa propter peccatum quod postea facturus est. Neque etiam post peccatum, quasi gratia maneat eodem temporis instanti, quo peccatum mortale committitur. Sed perdit illam meritorie eodem temporis instanti quo peccat, propter peccatum naturè prius commissum, siue illud continuet, siue non. Et qui continetur, eodem instanti iustificatur, aut si iustus est, augmentum gratiae consequitur, propter actum contributionis meritorium de congruo, vel de condigno, siue illum actum continuet postea, siue non. Quo pacto sentiunt non pauci, Angelos omnes meruisse de congruo primam iustificationem per actum supernaturalem, quem habuerunt primo instanti suae creationis, & à quo immediate post destiterunt mali Angeli: quique proinde non sicut liberi & imputabiles per respectum ad indifferentiam antecedentem, nec propter liberam continuationem tempore subsequente. Putant enim isti auctores viam malorum fuisse unius instantis temporis.

Perperam verò respondent aliqui actum illum fuisse meritorium, quia erat illi potestate Angeli illum continuare. Nam hoc tantum probat continuationem fuisse in libera potestate, & Angelum per illam potuisse mereri: sed non sufficit, ut prima productio actus fuerit libera, & per illam, seu naturam priusquam, Angelus mererit de congruo primam suam iustificationem: sicut de facto illam meruerunt etiam

MARTINUS  
NEUS  
D. VI



mali Angeli, qui tamen iuxta sententiam predictam abstinuerunt ab eius continuatione. Ac certe quidem peccator qui contrititur, non iustificatur antequam exerceat contritionem. Id enim est contra Trident. sess. 6. cap. 7. initio, & contra rationem, quia forma non introducit tempore prius ante dispositionem. Contritio autem est dispositio ad iustificationem, ex Trident. ibidem iuncto cap. 6. & sess. 14. cap. 4. Neque etiam iustificatur aliquo tempore post contritionem. Tum quia forma introducit eodem instanti, quo est perfecta dispositio. Tum etiam quia sequeretur damnari peccatorem, qui non superuivert suo actui contritionis: quod est falsum.

25. Nunc in voluntate est libertas si non est libera e instanti quo operatur.

Quarto, si voluntas non est libera eo instanti quo actum exercet, & non eum tunc liberè ponit, ita ut possit non ponere si velit, nunquam voluntas est libera. Quia neque ante, neque post dici potest esse libera ad illum exercendum, nisi per respectum ad instans quo illum exercet. Ideo, inquit, dicitur liberè factura, aut liberè fecisse, quia liberè facit quando facit. Et quidem postquam fecit, non potest non fecisse. Quare non est libertas, eo quod iam fecerit: sed in eo quod quando fecit, potuit non facere, si voluisset. Antequam verò faciat, non minus necessariò caret actu, ex suppositione quod non iam faciat: quam necessariò illum habet eo instanti quo exercet, ex suppositione quod exercet. Denique voluntas, antequam actum eliciat, est libera ad eliciendum, vel non eliciendum, vel liberè. Non perdit autem illam indifferentiam, & libertatem, donec se determinet ad eliciendum, vel ad abstinendum. Ergo in illo instanti, quo elicit, non privatur ea libertate & indifferentia donec eliciat. Ergo spectata in natura priori, prout est id à quo exiit actus, & cuius virtute ponitur, non est privata potestate non eliciendi si velit: sed ita illum elicit, ut possit non elicere. Estque discrimen manifestum inter causas necessarias, & liberatas, consideratas pro illo ipso instanti quo operantur: quod illæ non possunt non operari postis omnibus ad agendum prærequisitis. Illæ verò his non obstantibus sunt Dominæ sui actus, eliciuntque aut non eliciunt, prout libuerit. Quia postis etiam illis omnibus prærequisitis non sunt necessariò adstrictæ tali actui. In eoque consistit natura libertatis, & differentia à causis necessariis.

26. D. Thom.

Contra secundam assertionem opinari videtur D. Thom. quæst. 63. art. 5. ubi docet, Angelum non potuisse peccare in primo instanti, eo quod alioqui tale peccatum imputaretur Deo auctori naturæ Angelicæ. Tum quia prima naturæ operatio tribuitur auctori naturæ. Tum etiam quia prima volitio est à prima cogitatione. Prima verò cogitatio est à naturæ auctore: non enim potest esse ab ipso operante, per eius volun-

tatem, cum voluntas non possit operari sine prævia cogitatione.

Respondeo, primam illam operationem non fore naturæ, sed libertatis: & si viciosa est, non magis esse imputabilem Deo, neque magis esse ab illo, ut auctore, quam reliquos actus naturales, qui quocunque tempore sunt à creatura peccante. Sed neque etiam peccatum illud esset à prima cogitatione, quasi voluntas necessariò sequatur primam cogitationem: sed tantum illam præsupponeret natura illius. Possetque esse bona cogitatio, quamvis actus voluntatis esset malus. Fallitur enim qui putat, non posse peccatum esse in voluntate, nisi præcedat error, aut mala cogitatio in intellectu. Et sunt, qui licet videant meliora, pro bentque recto iudicio, deteriora tamen sequuntur pervertit voluntate. Denique non omnis prima cogitatio à Deo est, velut specialiter immissa aut procurata: sed potest esse ab occurru obiectorum, Deo solum concurrente ut causa generali.

Solvuntur argum. c. 6. de secundam conclusionem.

Vide tam. 2. dist. 3. sect. 6.

27. Malonius. Capreol. Carr. Bannes. Camel. Grand.

Contra eandem assertionem opinatur etiam Malonius in 2. dist. 6. disput. 7. conclus. 2. Capreol. dist. 4. quæst. 1. art. 1. conclus. 4. Carr. Bannes & Camel. par. quæst. 63. art. 5. Durand. Argentinas, Ricard. & alij plures, quos sequitur Grandus tract. 13. disput. 4. num. 6. Quorum primus affirmat, Angelum de potentia ordinaria non posse peccare primo instanti suæ creationis. Quod præcipue probat eadem ratione quæ supra usus est D. Thom. quia videlicet alioqui peccatum illud in Deum transferretur. Quæ ratio si esset efficax, & que probaret, neque etiam de potentia absoluta potuisse Angelum peccare primo illo instanti: cuius tamen contrarium assertit idem auctor conclus. 1. Hanc verè rationem D. Thomæ confirmat primo, quia non potuit Angelus peccare, nisi prius fuerit in actu primo ad peccandum. Nam omnis actus secundus præsupponit aliquem actum primum. Ergo si Angelus est malus in actu secundo, debet prius in actu primo esse malus. Hoc autem quod sit in actu primo, non potest Angelus in se produxisse: quia nulla potentia est causa sui actus primi, sed tantum actus secundi. Sicut neque potentia potest sibi esse causa essendi in actu, sed hoc habet, vel ab obiecto, vel ab efficiente. Secundo, qui sicut homines iusti non statim prorumpunt in peccatum, sed prius tentantur & alieuntur, ac sensum inducuntur ad confessum, ut ait Jacob. cap. 1. v. 14. & 15. sic Angelus. Neque sufficit Angelos habere liberum arbitrium primo illo instanti. Nam, inquit, quando in intellectu practico, per quem voluntas contrititur in actu primo, fuerit illata conclusio practica: tunc non potest voluntas non sequi illud iudicium, & non potest non eligere, quia necessitatur tum quoad exercitium, tum quoad specificationem. Illud autem iudicium includitur in eo, per quæ potentia constituitur in actu primo ad peccandum. Ad-



dunt aliqui Angelum primo illo instanti habere iudicium practicum de omnibus quæ tunc velle debet: à quo iudicio necessitatur voluntas ad exercitium actus. Ideoque non potest male offerari, quin mala illa operatio referatur in Deum.

Satis  
illis argu-  
mentis.

Perùm vt ab hoc vltimo inciplamus: Non apparet vlla necessitas, cur Angelus habeat tale iudicium practicum primo illo instanti, neque possit occupari à cognitione, puta contemplatione sui, & rerum aliarum cum ipso creaturarum, quarum species infusas habet, aut Dei per creaturas analogice cogniti. Secundò, dato quòd necessariò habeat iudicium practicum de his omnibus quæ tunc velle debet: non magis ab illo necessitatur voluntas pro primo illo instanti, quam pro sequentibus, in quibus tamen potest Angelus libere facere contra iudicium practicum de ijs quæ facere debet. Ad alia argumenta Malonij Respondeo primò, ad actum peccati non aliud præsupponi necessariò nisi potentiam indifferentem ad bene vel male operandum cum sufficienti cognitione, huc propositione obiecti, quæ potentia est ipsa natura libertatis Angelicæ à Deo creata. Secundò, progressum illum peccati ne hominibus quidem generaliter loquendo, & absolute necessarium esse: multo magis minus Angelis, qui possunt celerius, & momento operari. Iacob. verò cap. cit. loquitur de modo peccandi qui frequenter contingit. Tertio denique, falsum esse voluntatem necessitari ad sequendum iudicium practicum. Potest enim ab illo discordare, vt iam superius diximus, & fufius probabimus in tract. de actib. h. m.

28.  
R. fellun-  
r aliæ  
sentent. a.

Alij dicunt Angelum necessitari pro illo instanti ad exercitium actus naturalis amoris Dei super omnia. Qui amor est incompatibilis cum peccato. Sed non apparet, cur Deus cõfusus tantum & analogice cognitus ab Angelis, magis illum necessitet ad exercitium amoris primo illo instanti, quam alijs deinceps, in quibus liber est, non tantum quoad exercitium, sed etiam quoad specificationem, circa amorem Dei.

Alij tertio dicunt, Angelum necessitari quoad specificationem pro primo illo actu ita vt quamuis non necessariò velit operari, si tamen velit, non possit male velle. Sed hec que isti ostendunt vlla solida ratione cur Angelus magis necessitetur illo instanti, quam sequentibus, ad specificationem actus honesti, vel non mali, à obiecta propofita sub varijs considerationibus, sub quibus possunt bene & male operari à voluntate libera, & de se labili peccatum.

29.  
Ricard.  
Durand.

Speciatim autem opponit Ricard. in 2. dist. 3. art. 8. q. 2. actum necessarium & naturalem voluntatis præcedere liberum. Ergo primus actus voluntatis Angelicæ non potest esse peccatum. Addunt aliqui apud Durand. in 2. dist. 3. q. 2. num. 5. Nullum peccare posse nisi apprehendat bonum apparens, circa quod solum potest esse peccatum: bo-

num autem apparens apprehendi nequit, nisi prius appreheso vèro bono: quia bonum apparens apprehenditur per analogiam ad bonum verum. Ergo prius debet Angelus necessariò versari circa bonum verum, quam circa apparens.

Ad primum Respondeo, non esse necessarium vt in voluntate Angeli ante omnem eius actum liberum præcesserit alius naturalis & necessarius. Posita enim sufficienti cognitione circa obiecta non necessaria, & non necessitatur voluntatem, potuit incipere ab actu libero. Potuit quoque primo instanti suæ productionis habere plures actus voluntatis, quæ ac plures cogitationes: quorum vnus esset necessarius & alius liber sine ordine causalitatis & dependentiæ vnus ab illo.

Ad secundum, itego maiorem, sumendo bonum apparens proprie, pro eo quod videtur tantum esse bonum, & non est. Nam bonum delectabile, & bonum vile, est verè bonum: quamuis inferius bono honesto. Quare qui peccat circa bonum delectabile aut vile, quod præfert honesto: peccat circa verum aliquod bonum, quod non apprehenditur per analogiam ad verum bonum, sed germanè & proprie sicut in se est.

### SECTIO III.

Vtrum voluntas Angeli inuariabiliter adhaereat ei quod semel elegit?

Respondeo negatiue: sed sicut liberè e-  
legit, liberè potest electionem mutare. Ita docent S. Bonauent. Scot. Aegid. Rom. Occam, Durand. Gregor. Gabriel, Marsil. & alij quos citant & sequuntur Molin. ad quæst. 64. art. 1. disput. 2. Valent. quæst. 15. punct. 2. Vasq. disput. 239. cap. 4. Suar. lib. 3. cap. 10. num. 5. Becan. cap. 6. quæst. 12. Arrubal. disput. 180. cap. 2.

Probatur primò ex Scriptura, quæ docet Angelos, etiam beatos, liberè aliquando electionem mutasse. Vnde à fortiori colligitur hanc mutabilitatem non repugnare Angelis naturaliter spectatis. Antecedens patet ex Dan. 10. vbi Angelus Persarum custos pugnans cum Angelo custode Iudeorum de non permittenda Iudeorum liberatione, cognita Dei voluntate murauit consilium, vt fufius ostendunt Perer. Maldonat. & Cornel. in eum locum.

Probatur secundò ex Patribus. Idem enim de malis Angelis supponunt Ignatius Martyr, Cyprian. Cyril. Gregor. Nyssen. Basil. & alij, cum docent, Angelos post lapsam fuisse aliquandiu expectatos ad penitentiam, vt ex eorum verbis deducit Salmeron disput. 3. in 2. epist. D. Petri. Nam frustra ad penitentiam expectati fuissent, si eius erant incapaces. Erant autem incapaces, si habebant voluntatem inflexibilem in contrarium. Augustinus quoque

Angelum  
posse mu-  
tare elec-  
tionem.  
probatur  
ex Scrip-  
tura.

Idem pro-  
bat ex  
SS. Patribus.

Augustinus



quaque lib. 12. de ciuit. cap. 9. affirmat omnes Angelos initio sua creationis amauisse Deum, & ab eo amore malos postea defecisse. Memque cum D. August. censent D. Thomas & alii Theologi. Ergo ex mente D. Augustini, Angeli mali defecerunt à bono in malum, & mutauerunt electionem in contrarium. Si autem potuerunt naturaliter deflectere à bono in malum; par est ratio, vt possint quoque mutari de malo in bonum, vel naturæ viribus, circa bona proportionata & facilia; vel cuius Dei gratia, circa alia obiecta. Idem Augustin. lib. de corrept. & grat. cap. 11. dicit Angelis omnibus datum esse auxilium, quo, si velent, possent perseverare in amore & iusticia. Atqui si non poterant mutare electionem semel factam, non poterant non perseverare in amore, posito quod semel amarent. Et si non poterant non perseverare, frustra illis datum fuit auxilium ad perseverandum. Ergo ex mente D. Augustini, poterant non perseverare in amore, & mutare voluntatem in oppositum; vt re ipsa non pauci mutauerunt per peccatum mortale, repugnans incomparabili tantori Dei super omnia.

**33.** Fulgent. Fulgentius quoque D. Augustini discipulus lib. de fide ad Petrum cap. 3. docet; Angelicam voluntatem potuisse deflecti à malo in bonum, sicut potest humana. Ac si humana id possit sine gratia, sicut oportet ad iustificationem; multo magis, inquit, Angelica idem possit. Ex quo inferit ibidem diuinæ esse gratiæ quoddam possint homines penitere sicut oportet: quia Angeli id non poterunt defectu auxilii & diuinæ gratiæ. Sic enim ait: *Bona quoque voluntatis & cogitationis initium non homini in ipso nascitur, sed diuinitus ei preparari & tribui, in eo euidenter ostendit: quia neque diabolus, neque aliquis Angelorum eius, ex quo ruine illius merito in hanc inferiorem sunt deuersi caliginem; bonam potuit aut poterit resumere voluntatem. Quod si possibile esset, vt humana natura postquam à Deo auersa bonitatem perdidit voluntatis, ex ipsa rursus eam habere potuisset: multo possibilis hoc haberet Angelica, quæ quantò minus grauat terrena corporis pondere, tantò magis hac esset & edita facultate.* Damascen. denique lib. 2. de fide cap. 3. prope initium, dicit Angelum creatum esse in ea conditione, vt mutationem recipere possit. Verumque ei esset, vel in bono manere & progressum facere, vel in malum inflecti. Ibidemque naturam Angelicam vocat *mutabilem*, id est, mutabilem secundum sententiam, seu iudicium, & *voluntatem*, id est, voluntate mutabilem. Et in fine eiusdem capituli addit, Angelos beatos esse immobiles à Dei amore, non naturâ, sed gratiâ. Neque obest, quod de Angelo subdit eodem cap. *Penitentia* Tomus I. Gallus

porro ea ratione minime capax est (Græcè *ἀνώγειος*) quia corpore vacat. Neque enim docet verbis illis Angelum esse naturâ suâ incapacem penitentia & retractationis prioris voluntatis, sed scilicet præcisè quoddam est naturâ spiritualis & incorporeæ: sed tantum vult Angelos peccantes non accepisse à Deo donum penitentia salutaris, neque accipere debuissent: eò quod maiore malitia, & maiore occasione peccaverint, quàm soleant homines, qui carnis incentiuis ad peccandum tractantur.

Probatur tertio ratione efficaci, quam subius profertur. Suar. lib. 3. cap. 10. Idem pronunt. 3. & sequensibus. Sic autem habet: Angelus est liber in eligendo, vt fide certum est. Intellego autem electionem latè, siue pro libera volitione finis, quæ magis propriè intentio dicitur: siue pro voluntate mediorum, quæ specialius dicitur electio, quando inter plura fit: siue pro quouis alio exercitio libero, quod eatenus est electiuum, quatenus voluntas ad vnâ partem contradictionis, aut contrarietatis vel specificationis, se determinans, eam veluti eligit. Atqui post factam electionem nihil est quod necessitet Angelum, vt non possit electionem mutare, si velit: ergo &c. Probatur maior inductione.

Primo enim, dici non potest necessitari Angelum, & immutabilem reddi à Deo. Tum quia Deum non degeret necessitare in actu malo. Tum etiam quia loquitur de de Angelo, spectato naturaliter, Deo scilicet veluti causa primæ naturaliter operanti secundum exigentiam causarum secundarum: ac proinde non necessitanti, nisi sit aliquid quod id exigat ex parte effectus.

Neque etiam secundo dici potest esse ab ipsa natura Angeli, quæ propter suam dignitatem & perfectionem singularem, immutabilis in sua electione; sicut Deus propter suam immutabilis est. Tum quia non est fingenda maior immutabilitas voluntatis Angelicæ, quàm iudicii. Atqui potest variari & corrigi iudiciura Angelorum, sicut & falli. Tum etiam quia, licet in voluntate, quæ non potest à bono deflectere, immutabilis in proposito, & electione sit magna perfectio; non tamen ita in voluntate quæ deficere potest, sed contra magna foret imperfectio non posse corrigi & à malo deflectere. Quomodo enim intellectui erroris capax, magis est imperfectio non posse errori, de doceri & abiiecti. Atqui voluntas Angeli peccare potest, vt & intellectus errare. Quare argumentum potius in Adversarios retorqueri potest. Cum enim nos experiamur emendabilitatem, in intellectu & voluntate nostra: certè Angeli perfectio, quæ est humana maior, exigit vt non minus possit eximi ab errore & affectu malo. Neque

**34.** Idem probatur ratione.

**35.** Angeli non necessitantur à Deo ad mutandam electionem.

Neque à propria natura.



inique talem Angelorum naturam & perfectionem non agnouerunt sancti Patres in secundo argumento citati.

36.

Neque ab  
intel-  
lectu, &  
modo in-  
intelligen-  
di.

Tertio, quod neque procedat ab intellectu siue à modo intelligendi, probatur primo, quia possunt angeli mutare iudicium, & iam odio dignum existimare, id quod antea putauerunt esse amabile, atque ipsa amauerunt. Ergo iam ex parte iudicii seu modi intelligendi, non est ratio persistendi necessario in electione prius facta, sed potius est ratio eam prudenter mutandi in contrarium. Probatur antecedens, quia angeli statim naturaliter possunt falli quando iudicant ex coniecturis & signis incertis & obscuris: fallunturque non raro Dæmones circa tentationum exitus, egressus libere futuros, mysteria & dispensationes gratiæ. Secundo, possunt angeli fortius apprehendere in præsentia obiectorum & experientia, id quod remissius in ipsorum absentia apprehendebant. Ex. gr. Dæmones multo fortius apprehenderunt statum miserimum & eternæ damnationis, postquam illum viderunt, & pœnas illas acerbissimas expectati sunt, quàm antea quando peccauerunt. Ergo tunc possunt fortius moueri à talibus obiectis, quàm antea. Ergo tunc non est ratio ex parte modi cognoscendi, cur necessario persistant in priori electione, facta contra tale iudicium: sed potius est ratio retractandi, vt. v. c. damnandi peccatum, propter quod pœnas tam acerbis experiuntur, & à quo minor pœnarum apprehensio non efficaciter illos absteruit. Tertio, licet idem omnino iudicium persistat, quod Angelus habuit quando libere elegit: tamen sicut iudicium illud non prædeterminat physicè voluntatem, sed ille posito & stante, voluntas libere elegit id, quod amplexa est, potuit se non agere. Etiam in sensu composito, id est, componere non-electionem cum tali iudicio: ita non prædeterminat ad actum continuandum, sed voluntas manet libera (quantum est ex parte illius) ad continuandam electionem, vel ad deponendam, atque etiam mutandam in contrarium, si fuit in iudicio libertas etiam quoad specificam rationem & contrarietatem. Non iudicium eodem modo se habens in actu primo respectu voluntatis, non magis illam necessitat. Et voluntas eodem modo se habens in actu primo respectu iudicii, atque indifferens & potens ad verumlibet, quantum est ex parte illius conditionis præcipientis ad liberè operandum.

37.

Confirmatur.

Quarto, Angelus non perseverat in perpetuum in eadem cognitione, aut volitione libera, ita vt nunquam possit eam deponere, vt tentatur aduersarii. Itaque potest aliquandiu interrompere cogitationem & volitionem liberam, quam prius habuit, succumbendo aliis obiectis, & po-

stea eandem cognitionem resumere. Cur ergo tunc non poterit eligere oppositum eius quod prius elegerat, perinde ac si antea non elegerat? Tunc enim neque affectus prior ipsum determinat; quippe qui interruptus est, & iam non existit. Neque etiam cognitio: quæ cum sit eadem quæ prius, & quæ proponens obiectum indifferens & rationes in vtramque partem; non magis necessitat ad partem aliam, quàm prima vice. Ac licet non fuisset interrupta Angeli cognitio: illa non magis eius voluntatem vrgeret in futurum ad continuationem liberæ electionis, vel ad illius repetitionem: quàm initio vrgerat ad primam eius productionem.

Quinto, Angelus sæpe eligit vnum ex duobus æqualibus in re, & in cognitione, pro merito suo arbitrio, & sine vlla maiori ratione in alteram partem ex parte iudicii: ita vt pariformino ratione eligere possit oppositum. Vt, constituit se in hoc loco, potius quàm in alio propinquo æquè commodo: loqui huic potius quàm illi, cum sæpe non sit ratio loquendi potius vni quàm alteri: occupare paulò maius vel minus spatium, aut tali vel tali figura æquè commoda; versare rotam in hanc partem, potius quàm in aliam æquè bonam vndequaue. Ergo cum sit omnimoda indifferencia ex parte obiecti in alteram partem, non tantum in re, sed etiam in Angeli iudicio: quamuis idem iudicium relinquit, vel etiam continuet illud sine interruptione, persistat vis eligendi oppositum eius quod prius elegit, quantum est ex parte iudicii. Sexto, Angelus interdum eligit contra præcipuum iudicium intellectus, & contra pondus conscientiæ, seu iudicii practici magis vrgentis in oppositum. Tunc verò non est ex parte iudicii, cur non possit se corrigere, liberèque parere iudicio præcipuo, & magis vrgenti. Exempli gr. quando Angelus initio tanta cum notitia & deliberatione peccauit; videns meliora probansque, deteriora secutus est. Alioquin non peccasset, si simpliciter & bona fide iudicasset melius esse se agere. Quidni ergo possit, quantum est ex parte iudicii, actum illum abdicere, & in contrarium mutare vrgentiori iudicio conformem?

Neque dicas, prius illud iudicium proponere quidem voluntari obiectum vt indifferens, vel etiam vt postmodum ei quod malè relinquit. Veruntamen si electione oriri in Angelo aliud iudicium, quod dicitur melius esse persistere in electione priori; quamuis mala, quàm illam in contrarium mutare: & hoc iudicium ita determinare voluntatem, vt ipsa non possit oppositum. Contra enim incredibile est Angelos tam turpiter errare contra lumen naturale, vt iudicent absolute melius esse persistere in electione mala, quàm illam mutare in bonam.



orienti contrariam, v. g. melius esse, perfirere in Dei odio, quam ipsum amare. Deinde vel ita iudicant bona fide, id est, secundum dictamen, conscientia errantis inuincibiliter, vel non. Si primum: Ergo non peccant continuando & repetendo centies millies priorem electionem malam. Si secundum: Ergo agunt contra iudicium conscientia maius & vrgentius. Ergo ex parte iudicij habent potius causam mutandi electionem.

39. Non necessitantur etiam ab actu voluntatis

Atque ex his patet quarto, necessitatem illam praeiudicium non provenire ab actu ipso voluntatis. Quippe quem potest liberè deponere, ut fatentur Aduersarii: & alioqui perstaret semper necessario in omni affectu voluntatis, quem semel habuit. Ille autem si deponitur, & amplius non est: non necessitat voluntatem ad sibi similem producendum, neque reddit impotentem ad contrarium. Quia quod non est, non potest agere, neque resistere per seipsum. An vero per habitum, vel aliud à se relictum, dicemus paulò post. Quin etiam licet nondum depositus fuerit: non destruit, neque quinuit potentiam, à qua liberè fit. Ergo non auferit voluntati potentiam non influendi in talem actum: neque etiam auferit potestatem habendi alium. Ergo non necessitat ad permanendum inflexibilitate in electione iam facta. Et licet sit necessitas in sensu composito, ut ille actus sit, ex suppositione quoddam: non tamen est necessitas ut in futurum persistet. Quia licet actus necessario excludat priuationem sui, pro eo tempore quo ipse est: non tamen causam necessitat ad sui conseruationem, si causa ex se talem necessitatem non habet. Quia ista necessitas opponitur potentie non influendi in effectum, quam ipse effectus tollere nequit à sua causa, si prius illam habet.

Confirmatur, quia actus neque adstringit, neque ligat potentiam: Quippe quae illum naturam praecedat, & ab illo non constituitur in actu primo, secundum quem tantum est potens aut impotens, siue ut primo actum producat, siue ut productum conseruet. Quod autem dicunt aliqui necessitatem immortalitatis oriri ex impetu quo voluntas Angelica in suos actus erumpit vanum est. Gratis enim supponunt Angelos suum quodam conatu semper operari. Deinde, licet toto conatu voluntas operetur: tota libera est, & potest actum non elicere, vel elicere oppositum, potest item deponere postquam elicit. Quidni ergo mutare in oppositum, & quidem toto conatu, si sit opus? Sane ex sententia aduersariorum sequeretur Angelum posse naturaliter reddere se impeccabilem in futurum. Potest enim amare Deum toto conatu super omnia, actu naturali. Itemque detestari toto conatu omne peccatum. Ad id enim suppetit &

cognitio & voluntas. Ergo si aliunde non posset mutare talem electionem, constitueret se impeccabilem.

At neque etiam quinto provenit illa immutabilitas ab habitu vel alia dispositione addita voluntati, & ex actu relicta: quia incredibile est, vel ipso primo instanti gigni à quolibet actu tam intentum habitum in voluntate Angeli, ut eum nequeat superare: cum etiam inueteratos habitus homines superent & euellant. Deinde habitus tantum inclinant potentiam, ut facile possit similes actus: non autem ut non possit oppositos. Tertio, ut rectè argumentatur Suarez lib. 3. cap. 10. num. 12. habitus vel dispositio praecedens actum electionis, non necessitat ad electionem, sed in hoc subditivo voluntati: supponimus enim angelum liberè eligere, non obstante quocumque habitu, vel dispositione prauiua. Ergo neque necessitare potest ad perseverandum in electione iam facta. Tum quia talis habitus vel dispositio non potest fortius influere in conseruationem actus, quam in primam productionem. Tum etiam quia talis habitus, vel dispositio, nunquam potest priuare voluntatem sua naturali & intima potestate suspendendi influxum suum, vel perseverandi liberè in actu quem liberè elicit. Potest ergo nos obstante tali habitu, vel dispositione, liberè cessare ab illo actu & iterum eligere liberè. Quidni ergo si velit, ad contrariam electionem transire? Nihil ergo apparet, vnde oritur immutabilitas electionis in Angelis.

41. Neque etiam ab habitu, vel dispositione aliqua.

SECTIO IV.

Soluntur argumenta contraria sententiae.

Contrarium sentire videtur D. Thom. 1. 2. q. 64. art. 2. ubi malorum Angelorum obstinationem refert ad naturalem inflexibilitatem arbitrii, quam hac ratione probat: Quia vis appetitiua, quae est voluntas, in omnibus proportionate apprehensiuæ à qua mouetur, sicut mobile à motore. At qui vis Angeli apprehensiuæ, quae est ipse intellectus, apprehendit immobiliter & fixè vnumquodque, sicut nos intellectus apprehendit immobiliter prima principia: Ergo &c.

Thom.

Respondeo primo, obstinationem eorum non posse aliò referri. Nimirum ad desperationem ex aeterna damnatione conceptam, vel ad liberam voluntatem & malitiam: quo modo homines hac in vita in bono, vel in malo obstinati euadunt: ut Iob & Martyres in bono: Pharaon, Iudas,

Soluitur 1. argum. D. Thom.



& similes in malo. De qua fortè obstinatione voluntaria, id est, constantia & firmitate in proposito, loquitur D. Thom. art. cit. licet Thomistæ refragentur. An autem Deus pœnitenti tempus Angelis peccantibus dederit, dicemus suo loco.

*Infra disp. 44. sect. 3.*

43.

Respondeo secundò, vim appetitivam non debere in omnibus proportionari apprehensivæ. Nam apprehensiva non habet actum suum dominum, sicut appetitiva: sed sine libertate apprehendit aut iudicat vnumquodque, quæle apparet. Tertio dico voluntatem liberam non moveri ab intellectu, sicut mobile à motore. Quin potius ipsa movet se prout vult. Et ex parte quidem intellectus, præsupponit cognitionem circa obiectum exercitii libertatis: ita tamen, ut posita illa cognitione, & cæteris omnibus ad agendum prærequisitis, in ipsius potestate dominioque sit agere, & non agere. Atque interdum quidem agat secundum dictamen ultimi & supremi iudicii: interdum verò contrà; sicut Angeli fecerunt, quando peccarunt: neque enim absolute iudicaverunt melius esse sic eligere, & sic omnino agendum esse, contra dictamen luminis naturalis adeò manifestum. Quarto, non est verum Angelos vnumquodque obiectum apprehendere immobiliter, ut nos prima principia evidenter per se nota. Neque enim omnia sunt illis evidentiæ per se, imò neque per aliud: & naturaliter peccati possunt falli, ac si contrarium experientia vel aliter doceatur, possunt respicere. Sed quamvis immobiliter vnumquodque apprehenderent, tamen contra notitiam evidentem possunt malè appetere. Ut Angeli qui reipsa peccaverunt, cognoscebant evidenter obstinationem aut utilitatem, quam peccando præporebant, ac tamen obediendam esse obediendæ Deo, & mandatis.

44.

*Alensis, Henric. Granad.*

Contrarium quoque sentiunt Alensis 3. p. q. 1. m. 2. Henric. quodlib. 8. quæst. 17. Bañes, Ferrar. Caietanus, Cymel, & alii Thomistæ, quos sequitur Granadus tract. 24. de Angel. disp. 1. sect. 2. Vbi opponit primò quædam sanctorum Patrum, Bernardi, Anselmi, & Damasceni, quorum duo priores dicunt Angelos esse irrevocabiles, & lapsu irremediabili corruisse. Postremus lib. 2. de fide cap. 3. affirmat Angelum pœnitentiæ ea ratione minime capacem esse: quia incorporatus est. Et cap. 4. in fine ait, quod hominibus mors est, hoc Angelis lapsu extitisse. Quia nimirum si semel lebantur, sunt incapaces resurrectionis.

45.

*Respondeur aliis argum.*

Respondeo Berracum serm. 27. in Cant. non asserere ex propria sententia, id quod ex ipso refert Granadus, sed tantum id sibi obicere. Et quamvis ex proprio sensu id diceret, posset ita intelligi,

ut solum vellet Angelos qui peccarunt, esse irrevocabiles scilicet & insufficienter ad salutem; lapsuque irremediabili corruisse, defectu gratiæ ad talem levitationem remediumque peccati necessaria: non autem defectu potentia ad concurrendum cum Dei gratia, & ad respiciendum, si Deus cum illis misericordius agere voluisset. Anselmus verò à Granado citatus, lib. de libero arbitrio, cap. vlt. nobis aperire facit. Docet enim angelos omnes sua libertate potuisse beatitudinem non tenere, & ab illa iam habita declinare, priusquam confirmarentur in gratia. In eoque comparat homines cum angelis, quod sint flexibiles & mutabiles de bono in malum, & de malo in bonum, semota confirmatione in gratia & damnatione. Verba eius hæc sunt: Libertas (facta seu creata) alia est habens rectitudinem quam seruet, alia carens. Habens, alia tenet separabiliter, alia inseparabiliter. Illa quidem que separabiliter tenet, sicut Angelorum omnium, ante quam boni confirmarentur, & mali caderent: & est omnium ante mortem, qui habent rectitudinem eandem. Que verò tenet inseparabiliter, est electorum Angelorum & hominum. Sed electorum Angelorum post reprobationem, & hominum post mortem suam. Illa autem que caret rectitudine, alia caret recuperabilitate, alia irrecuperabilitate. Que recuperabiliter caret, est tantum in hac vita, omnium hominum carentium, quamvis illam multi non recuperent. Que autem irrecuperabiliter caret, est reproborum hominum & Angelorum. Scilicet Angelorum post ruinam, & hominum post hanc vitam.

Damascenus denique immediate ante verba relata ex cap. 3. dicit, Angelum creatum in ea conditione fuisse, ut mutationem recipere posset, liberumque illi esset, vel in bono manere, & progressum facere, vel in malum insecti. Quare id quod sequitur: Pœnitentiæ verò ea ratione minime capax est, quia corpore vacat: significat tantum, ut supra diximus, Angelum peccantem non habuisse completam salutis pœnitentiæ capacitatem, defectu gratiæ illi negatæ: eò quod, cum sit incorporeus, & passionum expertus, ac melius intelligens, peccaverit cum maiore cognitione & malitia, quam homines soleant. Quod confirmant verba proxime sequentia: Nam quod homo è viriorum cæno emergere, & que ad meliorem frugem se convertere queat, id ob corporis imbecillitatem inseparabile est. Et posteriori loco, post illa verba: Quod hominibus mors est, hæc Angelis lapsus extitit: subiungit: Post lapsum enim præclusa iam est illis omnis respiciendi facultas, quemadmodum & hominibus postquam ex hac vita migraverunt. Præclusa, inquit, obstructis scilicet fontibus gratiæ prævenientis & adiuvantis, sine qua nequeunt pœnitentiæ salutarem exercere: quæ etiam



scia de causa homines post mortem vtiliter penitere non possunt.

47. Angeli ne moraliter quidem sunt incommutabiles.

Opponit secundò Granadus has rationes, supponens prius mentem suam non esse, neque D. Thomam quòd Angeli habeant impotentiam physicam mutandi voluntatem in oppositum eius quòd semel elegit: sed tantum quòd Angelus sic adhareat obiecto quòd semel plenà indifferentià amplexus est, vt moraliter sit illi impossibile respicere, aut in contrariam partem inclinare: ac proinde nunquam id euenturum fit. Quod probat primò, quia voluntas Angeli in modo eligendi hominum, proportionatur eius intellectui in modo cognoscendi verum. Ergo sicut intellectus Angeli immobiliter cognoscit verum: sic eius voluntas immobiliter eligit bonum. Ac proinde non potest moraliter respuere id quòd semel elegit. Secundò, inquit, experientia docet, quantò aliquis sapientior est, & melius considerat ea quæ facturus est; tantò difficiliùs respicere, & mutare voluntatem. Angeli autem sunt hominibus sapientiores, & res melius considerant. Tertio, Angelorum proprium est, amplecti obiecta toto conatu voluntatis ipsius percipi. Vnde boni Angeli toto conatu intensissimè Deum amantur: & malorum affectu peccaverunt. Atqui difficillimum est, & moraliter impossibile, recedere ab eo quòd voluntas amplectitur summo affectu. Quarto, quòd voluntas elegit absque passione aut ignorantia, ex plenissima deliberatione & indifferentià, multò difficilius recipitur. Atqui Angeli sic eligunt. Quintò denique, superbiorum proprium est nimium adherere suæ sententiæ, & non confiteri se malè egisse. Mirum ergo non est, si superbissimi demones moraliter habeant impotentiam respicendi. In bonis autem Angelis non est quidem superbia: sed est quidam sanctissimus amor, ratione cuius indignum putant substantia tam nobili recedere à bono quòd semel elegerunt.

48. Soluitur i. arg. in contrariu.

Ad primum, sumptum ex D. Thoma, responsum iam fuit, intellectum Angeli non cognoscere euidenter omne verum, vnde potest falli, & detecta falsitate mutare iudicium. Et deinde non esse talem proportionem inter Angelicum intellectum, & voluntatem, vt sicut intellectus non est liber ad cognoscendum verum, acriter sibi propositum, sed necesse sit ab euidentia obiecti: sic voluntas non sit libera ad eligendum bonum, eique adherendum postquam semel elegit. Præsertim verò si minus bonum prætulit maiori, puta honesto delectabile: in qua electione manere immobiliter ex natura sua, physica vel morali necessitate, magna foret imperfectio.

49. Soluitur secundum.

Ad secundum Respondeo: Quantò quis sapientior est, & ea quæ facit, melius considerat, tantò facilius mutat volunta-

tem, si antea malè elegit. Ac si non obstante sapientia & consideratione, potuit malè eligere, potuit pariter bene eligere, & respuere quòd malè elegit: Ergo sicut illa sapientia & consideratio non eum necessitat physicè vel moraliter, vt eligit id quòd eligit: ita neque vt persistat semper in eadem electione: siue eam continuando in perpetuum sine interruptione, quòd non vult Granadus: siue semper idem eligendo, quòtiscunque deliberabit, quid sibi eligendum sit.

50. Tertium argum.

Ad tertium Respondeo primò, Angelos non semper appetere quicquid appetunt, intensissimo conatu: sicut neque toto conatu potentia executiua operantur, quicquid faciunt. Secundò, raro ea quæ intensissimè amantur & delectantur, fastidio sunt; postquam aliquandiu fuerint percepta & possessa. Multa enim sunt quæ feruorem illum voluntatis possunt minuire, aut extinguere. Ex gr. si demones summo conatu peccaverunt; experientia pœnæ tam grauis, tamque diuturnæ, facillè potest efficere, vt illis displiceat, id quòd cum tanto detrimento malè experierunt. Tertio, postquam affectus ille intensissimus planè cessauit, non potest esse causa cur voluntas non possit aliter affici erga obiectum, prout libere voluerit. Sicut actus amoris Dei, quem habuerunt demones primo instanti sua creationis toto conatu, vt supponit Granadus, non impediuit quòd minus postea defecerint, & hucusque pessimè Deum oderint.

51. Quartum argum.

Ad quartum Respondeo, id quòd eligatur absque passione & ignorantia, ex indifferentià & plena deliberatione, facilius respici carteris paribus, si contra rectam rationem electum sit. Carenti enim passione, & ignorantia, facilius est rectam rationem sequi, & viuere conformiter naturæ suæ, quæ rationalis est. Eidem quoque facilius est carteris paribus mutare electionem boni minoris in melius.

52. Quintum argum.

Ad quintum Respondeo, non esse naturam, sed vitij voluntarij & liberi, quòd demones sint superbissimi, & propter superbiam obdinati: Et non esse credibile tantam esse demonum obstinationem, vt non detestentur peccatum; propter quòd in tam miseram statum ceciderunt, velitaque causam tantæ mali non exitisse, id est, illis displiceat quòd extiterit. Amor quoque honesti & boni sanctorum Angelorum, naturaliter spectatorum, est illis voluntarius & liber: neque facit, vt indignum putent sua substantia recedere à bono minori quòd elegerunt, vt melius amplectantur; multòque magis vt à malo recedant, in quòd prolabi possunt spectati naturaliter. Paulò enim magis distant ab hominibus, qui in seipsis eumque experiuntur; & longissima abstant à perfectiõne Dei, cuius immutabilis per-



Iacob 1.  
c. 17.

fluat, ut perpetuo maneat in electione, quam habet ab eterno. Quippe apud quem nulla est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio, qui cum omnia perfectissime ab eterno præviderit, non poterit

sine aliqua inconstancia se aliter habere secundum voluntatem, quam prius, nulla nota occurrente ratione non ante prævisa, quæ ac nunc: quæ inconstancia in Deum summè perfectum cadere non potest.

## DISPUTATIO

## QUADRAGESIMA SECUNDA,

De potentia naturali Angelorum, eiusque actibus & obiectis.

- Sectio I. *Sitne in Angelis potentia executiva, & ad quid?*  
 Sectio II. *De apparitionibus Angelorum, & assumptione corporum.*  
 Sectio III. *Quid possint Angeli præstare in corporibus assumptis, vel in aliis?*  
 Sectio IV. *De loco Angelorum.*  
 Sectio V. *Per quid Angeli sint formaliter in loco?*  
 Sectio VI. *Resutantur aliæ sententiæ contrariæ.*  
 Sectio VII. *De motu locali Angelorum.*



DE materia proposita in titulo disputationis agit S. Doctor quæst. 51. & duabus sequentibus. In quarum prima docet, Angelos non habere corpora naturaliter sibi unita: quia sunt perfectæ substantiæ intellectuales, non indigentes acquirere scientiam per sensus corporeos à rebus sensibilibus. Nonnunquam tamen assumere corpora, in quibus apparent. Neque enim omnes illos summi apparitiones sunt imaginariæ; sed aliquæ sunt veræ & reales, ut quando Angeli apparentes videntur indifferenter ab omnibus: quemadmodum Angeli apparentes Abrahamæ, visi sunt ab eo, & à tota eius familia, æque etiam à Lot, & à ciuibus Sodomorum. Sed non posse in corporibus assumptis exercere opera vitæ, quoad illud quod est proprium corporum viuentium: quia operatio vitæ non potest esse nisi à vita: Angeli autem non viuunt vitam corpoream. Possunt tamen exercere opera illa quoad id quod commune habent cum corporibus non viuentibus, ut quoad motum localem, & quoad locutionem conuenientem cum sonis inanimatorum. In secunda, affirmat Angelum esse in loco equiuocè: quia non est in eo per contactum dimensionum quantitatium, ut corpus: sed per contactum virtutis ad aliquem locum qualitercunque: neque posse simul esse in pluribus locis: quia est virtutis & essentiæ finitæ: sed in vno tantum diuisibili, vel indiuisibili, non circumscriptiue, ut corpus; sed definitiue, quia ita est in vno loco.